

Alte Drucke

**SERMONES || D. Guarrici Abbatis Ignia-||censis, magni
illius Bernardi olim discipuli, mul=||ta pietate ac
eruditione differti, iam recens ad || ...**

Guerricus <Igniacensis>

Lovanii, 1555

In Annunciatione Dominica

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150379

In Annūciatio- ne Dominica sermo I.



PORTVNE nobis in
his diebus Quadragesima-
lis obseruantiz, solennitas
interuenit Dominicæ An-
nunciationis: vt qui fatigan-
tur afflictioe corporali, gau-
dio recreari valeat spiritali:

& quos humiliavit pœnitentiæ luctus, annuncia-
tio illius qui tollit peccata mundi, cōsoletur. Sic
quippe scriptum habes: Mœror in corde viri hu- *PROV. 12*
miliabit eum: & sermōe bono lētificabitur. Pro-
sus sermo bonus, sermo fidelis & omni acceptioe
dignus, Euangeliū nostræ salutis: quod angelus
missus à Deo, hodierna die Marię euangelizauit,
ac lætum de incarnatione verbi, dies diei, Ange-
lus Virgini verbum eructauit. Sermo ille dum
filium promittit virgini, veniam pollicetur reis,
redemptionem captiuis, ad apertionem clausis,
vitamque sepultis. Sermo ille dum filij regnum
prædicat, iustorum quoque gloriam annunciat:
terret inferos, lētificat cœlos: & sicut cognitione
mysteriorum, sic etiam nouitate gaudiorū per-
fectionem auxisse videtur angelorū. Quem ergo
non lētificet ille sermo bonus in afflictione sua?
quem nō cōsoletur verbum illud in humilitate
sua? Me-

IN ANNUN. DOMINICA

Psal. 118. sua? Memor esto, inquit David, verbi tui seruo
tuo, in quo mihi spem dedisti: hæc enim me con-
solata est in humilitate mea. Verbū tantū pro-
missionis acceperat, sed nullo adhuc indicio sese
effectus prodebat. Affligebat eum dilatio voti,
**fortitudo* sed consolabatur **certitudo* spei ex fide promit-
tentis. Si ergo David sola spe salutis huius quæ
nobis seruabatur, animum pascebat: quod gau-
dium, quæ delicia, rei ipsius exhibitio nobis esse
debuerat? O felicitas temporū istorū. O infelici-
Temporis tas temporū istorū. An nō felicitas temporū,
istius in- in quibus tanta plenitudo gratiæ & omniū bo-
gens & fa- norum? An nō infelicitas temporū, in quibus
licitas, & tanta ingratitudo redemptorū? Ecce enim venit
infelicitas plenitudo temporis, in quo mittit Deus filiū suū,
est. ut fiat filius hominis, hominumque saluator: &
ecce magnitudo teporis, ut saluatorē suū fasti-
diat homo peccator. Annunciatur salus perditis,
& contēnunt: promittitur vita desperatis, & neg-
ligunt: venit Deus ad homines, & nō assurgunt.
Assurgit, qui aliqua deuotiōe se erigit, ut det glo-
riam gratiæ Dei: assurgit, qui saltem cum gaudio
suscipit verbum proprię salutis. Scio autem scio,
quis est qui laudatur illo sermōe bono. Ille pro-
culdubio quem prius humiliavit pius mœror in
corde suo, mœror de peregrinatione & exilio,
mœror de vinculis mortis & periculis inferni,
qui mœrēs quotidie plāgit, quod pœccupauerint
eum laquei mortis, & pericula inferni inuene-
rint. Hunc nimirū iucundus aduenit hodiernus
ille nuncius de cœlo, hic gratulabundus excipit
sermonem

sermonem de Dei filio, huic inquam lugenti & mœrenti quòd tantis sit malis præuentus & circumuentus, non sine gaudio liberator annunciat: qui oleū gaudij daturus est pro luctu, palliū laudis pro spiritu mœroris, qui videlicet finem dabit miserijs, & sine fine beatitudinē dabit miseris. Beati ergo qui lugent quoniam ipsi consolabuntur, beati quos humiliavit pius mœror in corde suo, quoniā lætificabuntur sermone bono. Bonus planē sermo & consolatorius omnipotēs sermo tuus Domine, qui hodie à regalibus sedibus venit in vterū virginis, vbi etiā sedē sibi regalem extruxit, in qua cū etiam nunc sedeat, quasi rex circumstante exercitu angelorū in cœlis, est tam mœrentiū consolator in terris. Regali siquidē ex progenie virgo electa est, generositatis quidē regię nobilis proles, sed virtutis regię nobilior indoles: vt eterno regi filio regis, materna quoque nobilitas regium honorem defenderet, & venientem à regali sede patris, regalis etiā thronus in aula virginali reginæ susciperet matris. In ipsa quippe & ex ipsa sapientia ædificauit sibi domū, in ipsa & ex ipsa parauit sibi thronū: eū in ea & ex ea corp⁹ aptauit sibi ita ad oīa perfectum & congruum, vt & domus ei sit ad quiescendum, & thronus ad iudicandū, quod primo tabernaculum ei fuit ad pugnandū, & cathedra ad docendum. Vide autē ne fortē ipsa sit sedes Dauid patris eius, quam ei dandā promittit angelus: non quòd Dauid in ea sederit: sed quòd ex femine Dauid assumpta & fabricata sit. Et certē
in sedes

IN ANNUN. DOMINICA

si sedes David nō est, tamen sedes tua Deus in se-
culum seculi ipsa est. Si solum David non est,
certē solum excelsū & eleuatū super omnem
creaturam, ipsa est. Siquis autem etiam thronum
illum grandem, quem rex Salomon sibi fecit de
ebore, corpus ipsum interpreter quod pacifi-
cus noster hodie sumpsit ex virgine, nō multum
à vero videbitur abhorre: quandoquidem &
illud quod sequitur, & vestiuit eum auro fuluo
nimis, eidem satis corpori congruit: quod iam
Dominus decorem induit fulgoris intolerabilis.

3. Reg. 10.

Vestiuit, inquit eum, auro fuluo nimis. Prorsus
si interrogas oculos Apostolorum qui transfigu-
ratum in monte viderunt, confitebuntur aurum
nimis esse fuluum, id est fulgorem corporis esse
nimiū quem ferre nequiverunt, quamvis Nimis
pro valde ponere consuetudinis sit scripturarū.
Cætera nanque quæ prosequitur scriptura de il-
lius throni magnificentia, accommodatius, nisi
fallor, si quis tractare voluerit accipiētur de cor-
pore Christi, quod est Ecclesia. Mihi sanē magis
mirari modò libet illud ebur tam preciosum,
imò & impreciable virginalis castimonie, de
qua scilicet sedē sibi facere delegit qui sedet sup
Cherubin: hæc, inquiēs, requies mea in seculum
seculi, hic sedebo quoniam elegi eam. Quam ni-
tidum ebur illud, quod oculistanti tamque di-
uitis regis placuit, in cuius diebus argētum nul-
lius est: precij: quam frigidum quod nec à con-
ceptu incaluit: quam solidum, quod nec partus
violauit: quam candidum simul & rubicundum,
quod

Psalm. 94.

quod candor lucis æternę ignisque spiritus sancti, vniuersa sui plenitudine repleuit. Maria siqui *Maria vir*
dem & ipsa candidior niue, rubicundior ebore *go & maria*
antiquo, cui scilicet incomparabilem & castitas *tyr.*

candorem, & charitas seu martyrium rutilatē
prę antiquis electis noscitur contulisse ruborem.

Nam & suam ipsius animam pertrāsuit gladius,
vt mater summi virginis & martyris, esset & vir-
go ipsa & martyr, candida & rubicunda, quem-
admodum dilectus eius candidus & rubicūdus.

Deniq; sicut Salomon in omnibus thesauris suis
& opibus tātis nihil habuit tam preciosum, quod
in opus illud, magnificum thronum scilicet glo-
riæ suę iudicaret ebori præferendum: sic Maria
singularem præ omnibus electis angelorum &
hominum inuenit gratiam apud Deum, vt vide-
licet Dei cōciperet & pareret filiū, atq; ex ebore
corporis eius thronum sibi virtus altissimi, sine
manibus excideret gloriosum. Gloriosus prorsus
ille thron⁹ ac mirabilis de quo scriptura per-
hibet, quia non est factum tale opus in vniuersis
regnis: quod facile testimonijs probaretur ange-
lorū, qui semper & infatigabiliter in gloriā & de-
corē dominici corporis prospicere concupiscūt.

Quia enim in vniuersis regnis nō est tale opus fa-
ctum, quicquid factū est, flectat ei genu in omni-
bus regnis, cœlestiū, terrestriū, & infernorum.

Quām beatus igitur ille venter eburneus, vnde
caro eburnea sumpta est redemptoris, preciū
animarum, miraculum angelorū, soliū summę
maiestatis, thronusque potestatis, cibus vitę im-

O mortalis,

IN ANNUN. DOMINICA

Matth. 4. mortalis, medicina peccati, restitutio sanitatis. Quotquot, inquit, tangebant eum, sanabantur à languoribus suis, nam virtus de illo exibat & sanabat omnes. Beatus igitur vèter qui te Domine Iesu portauit, fœlix castitas vteri virginalis quæ huic operi in materiam ministravit. Fœlix prorsus fratres mei nitor illius eboris, id est, candor castitatis: cui nec aurum mundanæ sapientiæ, nec argentum eloquentiæ, nec gemmam alicuius excellentis gratiæ, nostri præfert electio Salomonis, si modo tamen castitas humilitate commendetur, quia humilitatem ancillæ suæ respexit Dominus. Proinde nanque Salomon cùm in carmine amoris castitatem prædicaret virginis, seu sponsæ videlicet seu sponsi, quia quorum spiritus vnus & caro vna, in plerisque etiam laus vna, vt castitatem illius adornatam nostramque adornandâ etiam alijs virtutibus doceret, ait: Vêter eius eburneus, distinctus saphyris. Vt autem nos ueris, quia castitas aliarum virtutum seu gratiarum sit receptaculum, apothecæ aromaticæ seu vnguentariæ nostri Salomonis non nisi domus eburneæ sunt, sicut Dauid in illo epithalamio cecinit, quod inscriptio utuli, Canticû pro dilecto, de sponso Ecclesiæ accipiendû ostendit. Myrrha, inquit, & gutta & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. Corpora siquidẽ eburnea sanctorû domus Christi sunt, vestimentû Christi sunt, membra Christi sunt templû spiritus sancti sunt. Ab his vestimentis Christi, ab his domibus eburneis

Cant. 5.

Psal. 44.

eburneis spirat ei omnis fragrantia virtutum & charismatum, ex quibus delectant & honorant regem regum Filiæ apostolorum & prophetarum. Probatis & ipsi fratres mei, ex quo cœpistis possidere vnusquisque vas suum in sanctificatione & honore non passione deliderij sicut & gentes quæ ignorant Deum, quid vnguentorum, quid odoramentorum diuina largitate sit infusum, quo modo corpus quod erat sentina sordium, nunc spiritus sancti sit venerabile sacrarium, & quod erat vorago flagitiorum, nunc quædam sit apotheca gratiarum. Myrrha, inquit, & gutta & calsia à vestimentis tuis, à domibus eburneis. Inhabitamus quidē domos luteas: sed quæ materiæ qualitate sunt luteæ, continentię virtute fiunt eburneæ: ex quibus si myrrha prima spirare cœperit, per mortificationem voluptatum, consequentur & aliæ species aromaticæ, quæ multiformē virtutum gratiam spirabunt. Spirabūt autē Christo delectabiliter tanquam de vestimentis suis, spirabunt etiam longē latequē proximis, tanquam bonus odor Christi in omni loco. Horum vestimentorum Christi fragrantia statim vt sensit Isaac, Ecce, inquit, odor filij mei, sicut odor agri cui benedixit Dominus. Sed & sponsus ad spōsam, quæ etiam corpus & vestimentū ipsius est, loquitur dicens: Odor vestimentorum tuorum, sicut odor Cant. 4. thuris. Quem nimirū odorem thuris sponso gratissimum, pietas o fratres vestrorum spirabit cordium, si ita fragrans & deuota fuerit, vt dirigatur oratio vestra sicut incensum in conspectu altissimi.

O ij mi, &

IN ANNUN. DOMINICA

Cant. 4.

mi, & ascendat coram eo sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris. Et quidē myrrha fragrat ei de corporibus vestris, fragrat utique & mihi, utinā ita & thus fragret de cordibus vestris, quatenus sponsus probās vos sicut castos, sic etiā deuotos, frequētius vos sua visitatione dignetur & dicat, Ibo mihi ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Videtur tamen sermo iste, prophetia huius esse diei, per Salomonem olim prædicta, per Iesum hodie impleta. Hodie nanque venit in illum montem altissimum montium, montē non modo myrrhæ & thuris, sed & omnium aromatum: dico autem virginem virginum, omniū plenam gratiarum, inter quas tamen præcipuē nisi fallor redolebat sponso myrrha castitatis, & thus pietatis. Odor iste fratres mei super omnia aromata, odor iste Dominum maiestatis de excelsis attrahit & inuitat, ut inclinet cœlos & descendat, sicut probat dies hæc, cū altissimus angelo missus de cœlis ipse quoque descendit in vterum matris, qui semper manet in sinu patris, cum quo uiuit & regnat, per omnia secula seculorū. Amen.

✠ SERMO DE EODem II.

HODIE verbum caro factum est, & habitare cœpit in nobis, secundum regulam scilicet sanē fidei, quam ecclesiasticorum dogmatū diffinitio tradidit nobis. Firmissimē nanque

mē nanque tenet & nullatenus dubitat Ecclesia
carnem Christi nō prius conceptam, quā a ver-
bo susceptam: sed ipsum verbum Dei carnis ac-
ceptione conceptum, carnemque verbi incarna-
tione conceptam. Hodie itaque sapientia ædifi-
care cœpit sibi domum corporis nostri in vtero
virginis, & ad ædificandam vnitatem Ecclesiæ, *Danie. 2.*
angularem lapidē de monte sine manibus absci-
dit: dum sine opere humano de corpore virginali
carnem sibi nostræ redemptionis separauit. Ab
hoc ergo die Dominus virtutum nobiscum, sus-
ceptor noster Deus Iacob: quia hodie Domini
est assumptio nostra, vt inhabitet gloria in terra
nostra. Prorsus hodie benedixisti Domine terrā
tuam, illam benedictā in mulieribus. Hodie de- *Maria ter*
disti benignitatem spiritus sancti, vt terra nostra *ra benedio*
daret benedictum fructum ventris sui, & roran- *ta.*
tibus cœlis desuper vterus virginalis saluatorem
germinaret. Maledicta terra in opere præuari-
catoris, quę etiā exercitata, spinas & tribulos ger-
minat hæredibus maledictionis: At nunc bene-
dicta terra in opere redēptoris, quę remissionē
peccatorum fructumque vitę parturit vniuersis,
& filijs Adæ præiudiciū originalis dissoluit ma-
ledicti. Prorsus benedicta illa terra quę omnino
intacta, nec fossa nec seminata, de solo rore cœli
Saluatorem germinat, & mortalibus panem an-
gelorum, alimoniam vitę æternæ ministrat. hæc
itaque terra quia inculta erat, videbatur esse de-
serta, sed erat opimo fructu referta: videbatur
esse cretus solitudinis, sed erat Paradyssus beatis-
sima.

O iij tudinis.

IN ANNUN. DOMINICA

Esa. 16.

1. Cor. 10.

*Maria pe-
trudicta.*

Esa. 45.

Ezec. 44.

tudinis. Planè hortus deliciarum Dei, cremus
cuius campi germinauerūt gerinè odoris, planè
desertum refertū, de quo agnum dominatorem
terræ Pater emisit. Emitte, inquit, agnū Domine
de Petra deserti, id est, abscinde Petrā de Petra,
sanctum & inuiolabilem sancta & inuiolata pro-
ferat virginitas. Sanè in hoc ipso satis decenter
Christi occasus ortui, sepultura respondet con-
ceptioni: dum videlicet emittitur agnus de Petra
deserti, condendus in Petra monumētū: & cuius
corpori monumētū excidendum erat in Petra,
ipse ab initio conceptus sui, & corpus sibi excidit
de Petra, & corpori locum in Petra: sic integri-
tatem Petræ cū de ea emitteretur non immi-
nuens, sicut nec signatam sepulturæ Petrā, cū
de ea egrederetur aperiens. Si ergo Petra Chris-
tus ut ait apostolus, nō degenerat à matre filius,
quando & ipsa Petræ nomine cenietur. An non
rectè vocatur Petra, quæ & in amorem integri-
tatis proposito firma, affectu solida, sensu quoq;
ipso aduersus illecebram peccati tota insensibilis
erat & lapidea. An non rectè Petra virginalis in-
tegritas, quæ & nihil parit per naturā sui, & cū
parit, roris virtute diuini, nec admittens conce-
ptum, nec emittens partū nouit aperiri. Sed ape-
riatur terra, inquit Eisaia, aperiatur, & germinet
saluatorem. O sancte Eisaia qui dicis aperiatur,
quid ergo est quod Dominus ad Ezechielē testat-
ur, Porta hæc clausa erit, & non aperietur. An
tibi reueratū fuit tantummodo consilium fœ-
cundandæ matris, & clausum tibi fuit mysteriū
clausæ

clausæ perenniter integritatis? Absit, inquit, nemo magis quam ego cōscius huius secreti. Quomodo enim me latuisset perpetuæ virginitatis mysteriū, qui tātō ante prædixi, Ecce virgo concipiet, & pariet filium? Quæris igitur quomodo dicamus: ego, aperiatur ille, non aperiatur? Non aperiatur viro, aperiatur Domino: sicut ibidem ad ipsum dicitur Ezechielem, vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam. Aperiatur autē Domino nō virginalis integritas corporis, quia sicut Ezechiel post prædicta subdidit. Hæc clauia erit ipsi etiam principi, sed aperiatur auris & porta cordis: quia videlicet intrauit per aurem virginis verbum incarnandū, & exiuit per clausam portā corporis incarnatum. Omnipotens nanque verbum Dei & si infirmitatem nostram suscepit, nihil tamē de sua sibi omnipotentia minuit, quo minus contra naturam carnis, & supra intelligentiam sensus nostri, corpus suum palpabile per clausa posset & integra trajicere, sicut etiam ad discipulos ingrediens ianuis clausis, oculis probauit, quod ratio nō capit. Secura igitur o virgo intemerata, o porta sanctuarij perenniter clausa, secura aperi Domino Deo Israel, qui tibi iam dudū clamat: Aperi *Cant. 5.*
mihi soror mea, amica mea. Nō est quod timeas integritati tuæ, Deus non nouit integra violare, sed violata cōsolidare. Si verbo Dei apta es, tum demum non modō clausa, sed & signata es. Pone *Ibidem 8.*
me, inquit, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuū. Iesus quippe im-
O iij pres-

IN ANNUN. DOMINICA

pressus in corde, expressus in opere, sigillū planē
& munimentum est inuiolabile castitatis sponsæ
suæ, & eo ipso quo se imprimit imitationis for-
mam, imponit etiam incorruptionis custodiam.
Sit ergo o virgo fidelis auris tua aperta ad au-
diendum, & mens tua ad credendum: aure per-
cipe verbum angeli, & corde suscipe verbum al-
tissimi, & corpore concipe filium Dei. Dic & tu
o beata tam humilis quàm fidelis, dic, Dominus
aperuit mihi aurem, ego autem non contradico,
retorsum non abij, ecce ancilla Domini: præsto
sum eius voluntati, quinimo iuuabo votis si pos-
sum, fiat mihi secundum verbum tuum. Hoc di-
cere, sic suam deuotionē offerre, istud planē est
Domino pectus aperire, istud est etiā os aperire,
& spiritū attrahere. Sic profectō aperiebatur ter-
ra: vt quē rorabant cœli de super, susciperet rorē,
& germinaret saluatorē. Nobile germen, germē
iustum, germen odoris, germen Domini quod
iam est in magnificentia & gloria, cū idem fru-
ctus terræ sublimis est super omnia, id est, exal-
tatus est super cœlos Deus, & super omnem ter-
ram gloria eius. Nihil enim interest, siue germē,
siue fructum, aut florem dixeris, cū hęc omnia
imō infinita alia vnus Christus sit: res vna, sed
multiformis gratia, & virtutis vni⁹ operatio mul-
tifaria: cui si infinita nomina paupertas humani
sensus & sermonis, pro similitudine commodau-
erit, rei tamen implere significationem non po-
terit. Bene autem simul vocatur germen, & flos
& fructus, qui sine gradu pfectus, ab initio con-
ceptus

Esa. 4.

ceptus sui omni virtute & gratia in seipso exstitit perfectus. In nobis enim primum ipse germē est, *Christus in nobis est* cum fides in confessionem prorumpit, vel opus manifestum: postmodum flos, cum super proficientem efflorescit sanctificatio Dei quodā spe- *germē flos & fructus* stabili decore virtutum: demum autem fructus, cum beatitudo satiat hominem consummatum. Pulcherrimē sanē ac vigilatissimē, nō solū mysteria, sed & mysteriorum præsagia dispensatio præordinauit diuina, vt locus in quo terra genuit saluatorem, germē iustum, & flos de virga & radice Iesse ascendit, Nazareth, id est sanctitas, germen, flos, virgultum vocaretur: vt videlicet negocium loco, locusque negotio consona voce contestaretur, pariterque & nomē loci rem gerendam pronunciaret, & res gesta causam nominis indicaret. Ignoscite mihi fratres mei, quia qui morum vestrorum seruire debuerā instructioni, plus forsitā quā necesse erat demoratus sum in illius ineffabilis admiratione & præconio mysterij. Quid enim mirum si miror quod stupēt angeli: si prædicare gestio, quā cœli enarrant gloriā Dei? Quid mirum si me delectat, quod beatos spiritus lætificat, quod peccatores iustificat, iustosque glorificat? Nescio tamen si vlla esse possit efficacior ac suauior morū edificatio, quā huius mysterij id est, verbi incarnati, fidelis & pia consideratio. Quid enim sic hominē excitare potest ad amorē Dei, quā præueniens hominem amor Dei tam vehemens ad hominē, vt homo propter hominē velit fieri? Quid autē ita nutrit amorē proximi,

O v quā

IN ANNUN. DOMINICA

quàm similitudo & natura proximi in humanitate Dei? Nam humilitatis exemplū nec cogitari posse maius aliquod existimo, quàm exinani-
tionem Dei in formā serui, & seruitutē plusquā
serui. Castitatem porro quid æquē commendat,
sicut quod ipsa castitas saluatore germinat? Aut
fidei virtutē ac meritū quid euidentius osten-
dit, quàm quod virgo Deum fide concepit, fide
oīa sibi promissa diuinitus impleri promeruit?

Luce 2.

Beata, inquit, quæ credidit: quoniam perficietur
quæ dicta sunt ei à Domino. Et vt plenius noue-
ris conceptum virginis nō solū esse mysticum,
sed & morale: quod sacramentū est ad redem-
ptionem, exemplum quoq; tibi est ad imitatio-
nem, vt manifestē euacues in te gratiā sacramēti,
si nō imiteris virtutē exempli. Quæ enim Deum
fide concepit, si fidem habeas, idem tibi promit-
tit: quod videlicet si verbū ex ore nunciij cœlestis
fideliter velis suscipere, Deū quē totus orbis nō
potest capere, possis & ipse cōcipere. Concipere

*Concipitur
in nobis
Christus.
1. Cor. 6.*

aut corde nō corpore, imō & corpore licet nō cor-
porali opere aut specie, tamen planē corpore tuo
quandoquidē iubemur ab Apostolo glorificare
Deum in corpore nostro. Attende ita-
que vt scriptum est diligenter auditui tuo, nam
fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei:
quod tibi absque dubio euāgelizat angelus Dei
cū de timore aut amore eius tecum agit præ-
dicator fidelis, quem angelū Domini exercitū
dici & esse non est tibi tas ambigere. Quām beati
qui dicere possunt, à timore tuo Domine conce-
pimus &

pimus & parturiuimus spiritum salutis, qui nimirū nō est alius quā spiritus saluatoris, quā veritas Iesu Christi. Vide ineffabilem dignationem Dei, simulq; virtutem incomprehensibilis mysterij: qui creauit te, creatur in te: & quasi parum esset te ipsum habere patrem, vult etiam te sibi fieri matrem. Quicunque, inquit, tegerit voluntatem patris mei, ipse meus & frater & soror & mater est. O fidelis anima expande sinus, dilata affectus, ne angustieris in visceribus tuis, cōcipe quem creatura non capit. Aperi verbo Dei aurē audiendi, hęc est ad vterum cordis via spiritus concipiendi, hac ratione cōpinguntur ossa Christi, id est, virtutes in ventre pręgnantis. Gratias tibi, sancte spiritus, qui vbi vis spiras, video munere tuo nō vnā sed innumeras fidelīū animas illo generoso germine grauidas: custodi opera tua, ne aliqua illarum abortiat, conceptumq; diuinę sobolis informem aut mortuum excutiat. Vos quoque o matres beatę tam gloriōse prolis attendite vobis ipsis, donec formetur Christus in vobis: attēdite ne qua foris offensa grauior fœtū tenerū lēdat, ne quid ingeratis ventri, id est, mēti quod spiritum quem concepistis extinguat. Particite si non vobis, certē filio Dei in vobis, particite inquā nō solū ab operibus & sermonibus malis, sed etiam a cogitationibus noxijs, & delectationibus mortiferis, quę planē suffocant semen Dei. Omni itaque custodia seruate corda vestra, quia ex ipsis vita procedet: cū scilicet maturus se partus absoluet, & vita Christi quę nunc abscondita

Matt 7.

fcondita

IN ANNUN. DOMINICA

Ioan. 16.

ſcondita eſt in cordibus veſtris, manifeſtabitur in carne veſtra mortali. Concepiſtis ſpiritum ſalu- tis, ſed adhuc parturitis, nondum peperiſtis. Si labor in parturiendo, magna de ſpe partus conſolatio. Mulier cūm parit triſtitiam habet labo- ris, cūm autē pepererit puerum, iam non me- mor erit præſſuræ propter gaudium, quia natus erit homo Chriſtus in mundum exteriorem cor- poris noſtri, quod & minor mundus ſolet appel- lari. Qui enim nunc conceptus eſt Deus in ſpi- ritibus noſtris, configurans eos ſpiritui charitatis ſuæ, tunc velut homo naſcetur in corporibus, configurans ea corpori claritatis ſuæ, in qua vi- uit & gloriatur Deus per omnia ſecula ſeculo- rum. Amen.

SERMO DE EO
dem III.

Eſa. 7.



VDITE domus Dauid: Ecce dabit Dominus ipſe vobis ſignū: Ecce virgo concipiet. Hodie im- pleta eſt hæc prophetia in aurib⁹ veſtris. Hodie nanq; illud ineffa- bile conceptus virginalis mira- culū, ſicut audieratis promiſſum, ſic auditis im- pletū: Virgo hodie cōcepit. Et hoc ſignū priorib⁹ retro ſeculis inauditū, noſtris ſeculis Dominus dedit. Et ſicut Hieremias eodē ſpiritu & eodē ſen- ſu p̄dixit: Creabit Dominus nouū ſuper terrā, quia fœ-

Hiero. 31.

quia foemina circūdabit virū. Quid est enim creabit Dominus nouū sup terrā, foemina circūdabit virū, quod ait Hieremias, nisi qđ ait Esaias, dabit Dominus signū, Virgo cōcipiet filiū? Hoc nēpe est circundabit, non de confortio virili suscipiet, sed de se sola intra semetipsam cōcipiet, & solius materni corporis inuolucro vestiet. Alioquin dicant si possunt Iudēi, quod signum Dominus in hoc dedit, si non virgo sed adolescentula, vt ipsi falso interpretantur, cōcepit: aut quid nouū Dominus creauit, si foemina masculum de masculo susceptum circūdedit. Potest quidem mentiri iniquitas sibi: sed in multitudine virtutis tuæ ō Domine mentientur tibi inimici tui, vt virtutem tuam dum negat prauitas & paucitas Iudęorum, gloriosius & copiosius confiteatur fides omnium populorum. Confiteatur tibi populi Deus, confiteatur tibi populi omnes: quia terra dedit fructum suum, virgo germinauit Iesum. Velint nolint Iudæi, creauit Dominus nouitatē huius miraculi, in signum eorum incredulitatis: vtique in signum cui contradicunt vsque hodie: plus, nisi fallor, pertinacia odibili, quā ignorantia miserabili. Non alienum tamen ab origine & consuetudine viperet germinis, si modo contradicunt huic signo, postquam factum est: qui ab initio in patre & rege suo impijsimo Achaz contradixerūt ne fieret. Locut⁹ est enim Dominus ad Achaz dicens: Pete tibi signum. Non petam, inquit, & Esai. 7. non tentabo Dominum. O religio prophana, ō pietas execranda, ō humilitas dolosa. Ne tentes,

vt ais,

IN ANNUN. DOMINICA

Esai. 1.

ut ais, Dominum, contemnis Dominum. Quomodo enim tentares, si fideliter obedires? Nunc autem quomodo non grauius tentas, quem manifesto contemptu irritas? Nouimus utique, nouimus dolum & inuidiam Iudaicæ radicis, quæ & antequam Christus nasceretur, inuidere cœpit gloriæ illius. Nam & iste Achaz quantū ex vitæ & morib⁹ ipsius intelligi datur, nam cultor Idolōrum erat, non alia religione aut metu signum recusauit petere cū iuberetur, nisi ideo scilicet, ne Dominus glorificaretur. Sanè mira & planè digna ira Dei & hominum, tam dira peruersitas Iudeorum, qui cū iubentur signa quærere reuunt, non ut fingunt ne tentent, sed ne glorificent Dominū, cū nō iubentur, tentant & quærunt. Nam velut natura & vsu Iudæi signa quærunt, & si dantur calumniantur & inficiari contendūt, ut manifestè confiteatur, quia tentantes querebant: non ut crederent facienti, sed ut insultarent non facienti. O gens peccatrix, semē nequam, filij scelerati, ait Esaias, nunquid parum est vobis molestos esse hominibus, mihi & alijs prophetis, imò vniuerso generi hominum, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Quia enim vos in peruersum aduersum eum inceditis, & ipse ut ait, peruersus incedet vobis. Nō vultis signum dari, ne glorificetur auctor miraculi: & ipse propter hoc dabit, ut ipse glorificetur, & vos confundamini. Fac Domine, fac mecum signum in bono, ut videant qui me oderunt, & confundantur, ait
de Iu-

de Iudæis ad patrem filius. Primum autem signum quod pater & filius operati sunt in confusionem infidelium, & gloriam fidelium, in testimonium suæ virtutis, & opus nostræ salutis, arbitror hodiernum esse virginis conceptum. Nam de ipso cum præmissum esset, dabit Dominus signum, quasi querentibus quod signum, intulit contextus prophete, verbis tamē euangelistę: Ecce virgo concipiet & pariet filium. vt planē aut consequentia vel veritate contextus careant, aut quod est probabilius mendacium Iudæorū latebram non habeat. Merito proinde cum iam generatio *Luce 11.* praua & adultera signum querit, signū nō datur ei, nisi signum Ionæ, vt videlicet qui ob peruersitatē mentis non edificantur signo virtutis, scandalizentur signo infirmitatis, induantur scilicet sepulturæ & mortis. Nam verbū crucis & mortis Iudæis qui pereunt, scandalum est: his autē qui salui fiunt, id est nobis, virtus Dei est: nec minor aut infirmior nobis est filius hominis in corde terræ, quā in confessu paternę dexterę. Signū quippe quod illi recusauerunt, siue in profundū inferni, siue in excelsū supra, nos fide plena ac veneratione deuota suscipimus, agnoscentes filium quē concipit virgo, in profundo inferni signum nobis esse liberationis & veniē: in excelsū supra, signū & ipem exaltationis & glorię. Qui enim primū descendit in inferiores partes terre, vt in sanguine testamenti sui extraheret vinctos de lacu in quo nō est aqua, ipse est & qui ascendit super omnes cælos vt adimpleret omnia. Iam le-
uauit

IN ANNUN. DOMINICA

navit Dominus signum primum in patibulo crucis, postmodum in throno regni: & exaltauit signum ad populos nationū, quia contradictum est ei à populo Iudeorum, & quotidie à quatuor ventis congregat dispersos veri Israel ad hoc signum. O radix Iesse qui stas in signū populorum super quē iam cōtinent reges os suum, obstruatur etiam os loquentiū iniqua: id est, Iudeorum blasphemantiū, qui adhuc signo immaculati conceptus tui contradicunt, & neq̃ angelo Gabrieli credūt, dicēti q̃a nō est impossibile apud te omne verbū. Beata quē credidit, cui hęc ratio satisfecit, & cū quæsisset quomodo filiū susceperet, quæ non cognosceret virum, tam de integritate quā de prole securam deinceps effecit. Quicquid ergo garriat impietas infideliū, nobis concipiat & pariat virgo filium: nos quippe signum habemus in bonum, etiam matrem & filiū. Nobis planē mater tota miraculum est, quæ singulariter & sine exemplo mater est & virgo: nobis filius totus miraculum, qui non solum singulariter, sed & incōprehensibiliter Deus est & homo. Mater virgo concipiens & pariēs, signū nobis est, quia Deus est homo iste qui cōcipitur & paritur: filius diuina faciens & humana patiēs, signum nobis est, quia in Deum trāsferet hominem pro quo concipitur & paritur, etiam & patitur. Omnium tamen humanarū infirmitatum, vel iniuriarū, quas pro nobis pertulit diuina dignatio, sicut tempore primam, sic etiam humilitate ferē maximam existimo, quod in vtero concipi,

*Infirmi-
tas omniū
quas pro
nobis tulit*

cipi,

eipi, in vtero nouem mensium tempore maiestas *diuina* *bona*
 illa incircūscripta passa est cōtineri. Vbi enim sic *nitas, quā*
 se exinaniuit, aut quādo ita penitus à semetipso *sit maxie*
 defecisse visus fuit? Tāto tēpore nihil illa sapiētia *ma.*
 loq̃tur, nihil illa virtus manifestū operatur: nullo
 signo visibili maiestas quæ clausa later, proditur.
 Non sic in cruce visus est infirmus, vbi quod in-
 firmū ip̃sus fuit, statim apparuit fortius omnib⁹:
 hominib⁹: quādo & moriēs glorificat latronē, &
 expirās inspirat Centurionē, quādo horarius do-
 lor passiōis ei nō solūm cōpati facit elemēta crea-
 turarū, sed etiam contrarias fortitudines subigit
 æternorū passiōi dolorū. In vtero autem sic est
 quasi nō sit: sic oīpotens virtus vacat, quasi nihil
 possit, & verbum æternū sub silentio se premit.
 Vobis tamē fratres vobis illud silentiū verbi lo- *Silentium*
 quitur, vobis clamat, vobis vtique disciplinā si- *nos Christ⁹*
 lentij commendat. In silētio enim & spe erit for- *docuit.*
 titudo vestra, sicut Esaias promittit, qui cultū iu- *Esa. 30.*
 stitiæ silentiū diffiniuit. Sicut nanq; puer ille con-
 ceptus in vtero ad maturitatē partus sub alto &
 diuturno pfecit silentio, sic & spūm hominis di-
 sciplina silentij nutrit, format & roborat: & quan-
 tō occultius, tantō tutius & salubrius incremen-
 tum præstat. Nescit homo animalis qui non per-
 cipit quæ sunt spiritus Dei, quæ sit via spiritus, &
 quomodo cōpingantur ossa in ventre pręgnātis,
 sed non occultatum os meū à te ait sanctus Deo
 quod fecisti mihi in occulto mentis, sub secreto
 silentij. Sed nec à vobis occultatum est hoc my-
 steriū fratres mei, quorū experientia & confessio

P testis

IN ANNUN. DOMINICA

*Silētij quā
ta virtus.*

*Prone. 23.
Silētij cul-
tor quo se
solari de-
beat.*

Ecce. 44.

testis mihi est, quomodo quietus & modestus spi-
ritus sub silētio roboretur, pinguescat & floreat:
quomodo e contrario per verba velut quadā pa-
ralysi dissoluatur & defluat, quomodo macrescat
& marcescat & aridus decidat. Deniq; si in silētio
fortitudo nō esset, Salomō nequaquā dixisset: Sicut
vrbs patēs & absq; murorū ambitu: ita vir qui nō
potest in loquēdo cohibere spūm suū. Cāterū si
queris quo negotio sit occupanda mēs in silētio,
nihil tibi imponimus onerosum, comede panem
tuū, sicut & ipse Dñs cōceptus suo tibi comon-
strat ex ēplo. Quid enim ppheta de eo dixit cū
loqueretur de porta oriē tali semper clausa in do-
mo Domini, quē tamē Deū Israel admisit & emi-
sit? Princeps ipse, inqt, sedebit in ea, vt comedit
panē corā Domino. Sedebit, inquit in ea, quoniā
requiescet in ea, de qua & ipse loqtur, hæc reges
mea: sedebit in ea tanquā in throno grandi: quē,
sicut aliās dixi, Salomō rex sibi de ebore fecit. Si
attendas angustias vteri, locus prorsus angustus
est: si latitudinē cordis, thronus grandis est, pro-
pter quam etiā vterus tantæ maiestatis capax fa-
ctus est. In ea ergo princeps sedit & panē come-
dit: quia si quis, inquit, aperuerit mihi intrabo ad
eum, & cōnabo cum eo, & ipse mecū. Nō est hæc
cœna sine pane, quādo & ipse qui cōnat panis est
vitę: panis qui hodie descēdit de cœlo, & dat vitā
mundo. Sed res mira si idē est qui cōnat & quod
cōnatur: & qui comedit, ipse est panis qui ab eo
comeditur. Reuera res mira, sed res vera: quia
Christus nō alio pane q̄ se ipso pascitur. Ipse nan-
que

que totus est panis, verbū propter se, caro pro-
 pter vniōē verbi. Alioquin caro nō prodest quic-
 quam, cūm spiritus sit qui viuificat: nec in solo
 pane viuat homo, sed & in omni verbo quod pro-
 cedit de ore Dei. Omne verbum procedens de
 ore Dei vnum & vnigenitum est verbum patris,
 quod cūm simplex sit, in se tamen continet ratio-
 nem & formā omnis verbi diuini. Verbum itaq;
 pascitur de verbo, filius viuīt de seipso: quia sicut
 pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio
 vitam habere in semetipso. Alia tamē ratione, sed
 tamen ineffabili beatitudine verbo pascebatur
 anima illa, verbo ipsi in personam coniuncta: &
 incomparabili fœlicitate princeps ille sedens in
 porta virginalis vteri, panē verbi corā Domino
 comedebat. Id igitur operis tu quoque si sapi-
 silentio tuo actitabis, vt panem verbi diuini co-
 medas coram Domino, conseruans sicut Maria
 quæ de Christo dicuntur, & conferens in corde
 tuo. Hunc panē tecū Christus manducare dele-
 stabitur: & qui te pascit, ipse in te pascetur: & pa-
 nis ipse quo plus editur, plus abundabit edēdus:
 quia gratia nō minuitur vsu, sed augetur. In hoc
 præterea tibi sit exemplo Iesus conceptus & ge-
 status in vtero: vt sicut onus illud leue ac suaue
 & si grauidauit, nō tamen grauaui vterū Marię,
 sic te nō sentiat grauē aut molestū vterus Eccle-
 siæ. Grauida est ō fratres Ecclesia nō sicut Maria *Ecclesia bo-*
 solo Iesu, sed sicut Rebecca Iacob & Esau: non *nis & ma-*
 solū scilicet bonis & modestis, sed etiā discolis *lis differ-*
 & indisciplinatis: quos tamē & ipsos propter no- *ta.*

DOMINICA IN RAMIS PAL.

Gen. 25.

men Iesu vel forsitan aliquod initium substantiæ eius, Ecclesiæ viscera suscipiunt & amplectuntur. Sed cum sese colliderent parvuli discordes in utero Rebeckæ, quæ prius orauerat ut conciperet, dolensq; venter suum à tribulatione malorum & dolore, penè pœnitebat quod concepisset: Si sic, inquit, futurum mihi erat, quid necesse erat concipere? Si de aliquo nostrum fratres sic conqueri contingerit viscera matris nostræ, timeo ne melius fuisset si conceptus non fuisset homo ille: nisi quod nec de talibus finit nos desperare qui etiã de lapidib⁹ suscitatur filios Abrahæ. Ipse in eis si qui tales sunt emolliat cor lapideū, ne quatiat viscera matris: ipse viscera matris cōsoletur, ne fatigetur eos qualescunq; sint portare, donec formetur in eis Christ⁹, qui perfect⁹ De⁹ perfect⁹ homo viuit & regnat, Per oīa secula seculorū. Amen.

Dominica in ramis Palmarū sermo I.

Philip. 2.



OC SENTITE IN VO-
bis qd⁹ & in CHRISTO IE-
SV, quicū in forma Dei esset.
Audiant seruus nequā & fugiti-
uus, hominē dico, qui cū esset
in natura & conditione serui &
necessitate seruiendi: seruire detrectās, arripere
sibi cona-